

RECTOR
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS
CHRISTIANVS
FRIDERICVS
BAVERVS

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR ET PROFES
SOR PVBLICVS ORDINARIVS ALVMNORVM
REGIO-ELECTORALIVM EPHORVS

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D

Coll. diss. A
258, 71

Coll. Diss. A. 258 (71)

Floruit quondam Hieronymus Lascus excellentis ingenii ac prudentiae fama, qui, natus in Sarmatis, turbidis Hungariae rebus, in Aula Turcica, Ioannis Zapoliae, post eiusque decessum, Ferdinandi adhuc Regis, legationes administravit. Hic, a Solimanno rogatus, num uidisset, num nosset, Lutherum, Ego uero, inquit, familiariter etiam cum eo collocutus sum. Quaerenti mox Solimanno, quibusnam Lutherus in rebus mutationem, et qualem, in illa parte Orbis, fecisset, eum, respondit, superstitiones, quae inueterauerint in animis, sustulisse. Tum uero Imperator Turca, Est sane magnus uir, inquit, Lutherus, quisquis est, sed nondum ea luce collustratus, qua nos sumus. Haec ego nondum, neque in Ioanne Sleidano, neque in Vito Ludouico Seccendorffio, reperire possum, quanquam ea cupidissime requiro. Vtriusque ergo commentariis, nisi mea me exquirendi cura fefellit, addi possunt. Namque ea Philippus Melanchthon, ut nota temporibus suis, de Solimanno adhuc uiuo, commemorat, eademque digna, sicut utique sunt, memoria ponit. Habuit autem Solimannus, praeter rerum, in Asia potissimum gestarum, gloriam, iustitiae, sobrietatis, continentiae, laudem praecipuam, qua ceteros Othomannorum Principes, ducentorum quidem annorum, praestitisse dicitur, addo etiam clementiae ac religionis studium, quod Mustaphae filio proposuit aemulandum, ut Paullus Iouius tradit. Quo minus mirari conuenit, si quidem ille, quae fama, latius increbrescente, de Luthero, religionem emendante, accepit, haud contemnenda duxit. Haec certe non leuia fuerunt, quae Solimannus de Luthero comperisse sibi uisus est. Erat, scilicet, eius temporis, quo de regno Hungariae, in fidem clientelamque permittendo, agebatur, de priuato quodam homine ac longius remoto, qui uersaretur in Germania, quaerere, idque ab Legato, qui maioribus de rebus, ac penitus aliis, missus esset. Solimannus nihilo secius Lutherum in memoria habet, Lascumque, num quando uidisset Lutherum, numquid eum nosset, percontatus, quid aliud, quaeso, ostendit, quam se ipsum teneri cupiditate, uidendi Lutheri atque noscendi. Magnum enim uirum dicit Lutherum homo, Christiano nomini infensus, cui, insita gentis suae superbia, parui ducuntur externa cuncta, et opibus suis elato, et uictori tot populorum, quos bello deuicerat, quibus domitis, in Oriente fines imperii longe lateque protulerat. Nec uero iniuria magnum praedicat Lutherum, quem, audit ex Lascio, superstitionibus conuellendis, eluxisse. Quanti enim est, religionem, qua Deus colitur, falsis atque impiis hominum opinionibus liberare, quibus obsolescit honos Dei. Nihil magnum est extra uirtutem, cuius fons cum Deus sit, nihil ideo magnum extra Deum, eiusque cultum. Cum nihil magis cultum Dei contaminet, quam superstitio, hanc qui demit, eo maior est, quo sanctior. Lutherus ergo tanto maior fuit, quanto foediorum religioni superstitionem detraxit. Sed hanc Lutheri magnitudinem non intellexit Solimannus, quod falso de superstitione iudicauit. Satis enim habet, si Deus unus colatur, repudiata Deorum multitudine, quam uanitas multarum gentium comminiscitur. Nihil de Christo cogitat, cuius nihil, Christo dignum, scit homo miser-

rimus,



rimus, cum quidem in Christo, eiusque Singulari Merito, sita sit ipsa salus humana. At Solimannus hunc errorem cum lacte quasi matris suxit, triumuiros fuisse, uaticinandi facultate eximios, primo Moysem, deinde Christum, denique Mahumetum, hunc tamen duobus illis anteponendum. A Moyse enim, opinatur, parui populi rempublicam paruulam constitui, a Christo nullam, a Mahumeto autem ingens imperium condi. Quod si cognitum habuisset Christum, ut Filium Dei, ut cruentum Dei Conciliatorem, multo sane maiorem iudicasset Lutherum, cuius pietate acerrimoque studio elaboratum sit, ut Seruatoris Vnici dignitas, quam operum mortalium fiducia atque arrogantia nefarie labefactauerat, uindicta, humanae spei denuo firmaretur. Sed ea cognitio non cadebat in hominem, diuinae lucis expertem, cuius tamen praeclarum de Luthero iudicium multis Christianorum non potest pudori non esse. Multi enim tam ingrati sunt in Deum, ut agnoscere nolint ingens opus, quod Deus fecit per Lutherum, ad doctrinam salutis redintegrandam. Ex his nomino Ioannem Astulphum, qui, Lutherum esse Bestiam Ioannis Apocalypticam, docere laborat Anagrammate, criminosisimo parumque accurato, quod nihilo minus, princeps acuminis Italici, Emanuel Thesaurus, arbitratur, ingenio humano superari uix posse. Det autem nobis Carolus Patinus, quibusnam rebus pretium, existimet, statuendum, si, Lutheri memoriam, miratur, his terris ualde pretiosam esse. Si uetera Numismata, quae peregrinans undique conquirat, maioris pretii putat, quam Lutheri memoriam, in hoc, sciat, deliciarum suarum pretio tantum pretii nobis haud inueniri, ut uetus aes cum meritis Lutheri contere audeamus. Haudquaquam pudet nos, adire cubiculum, in quo Lutherus plus uigilauit pro causa religionis, quam dormiit, ubi tam multa, tam praeclara, laboriosissime scripsit. Quid utilius est, uel ad fructum legendi, uel ad exemplum imitandi, quam libros sacros euoluere, Lutheri manu tritos, notis ubique perspersos. Quid innocentius, quam hortos ingredi, in quibus Lutherus Christi, in horto grumos sanguinis exsudantis, mirificam in homines caritatem secum commentatus est. Quanam re minuas religionem, si fontem, salientibus aquis salubrem ac limpidissimum, Lutheri nomine uoces, in loco suburbano mirae amoenitatis, in quo Lutherus studiis suis obsequi solitus est, et familiares cum amicis sermones sententiasque, de sacris restituendis, conferre. Haec, tantum abest, ut superstitiosa sint, ut posteris exemplo, stimulo, commonefactione aliqua officii sancti, prodesse saepe multumque possint. Quanta denique leuitatis putes Iacobum Tollium, qui, Vitembergam quondam transiens, Auditorium maius introit, eiusque amplitudine et picturis ualde delectatur. Itaque, eodem loci, imaginem Lutheri sine dubio contemplatur, quae, tabula grandi artificiosaque expressa, in oculos omnium incurrit, et augusta specie sua omnes aduenas facile inuitat. Sed, de Luthero ne dicat nihil, Vitembergam, ait, in primis, claram esse Luthero suo. Cur autem suo tantum, ut si uirtus atque fama Lutheri solis muris huius urbis claudatur. Quidni, si bonus est, communia uiri, diuino Spiritu inflammati, merita reminiscitur, quae in cunctum Orbem Christianum

num

num extant. Solimannus enim ipse, et Imperator, et Turca, Lutherum appellans magnum, in eo maius quiddam atque amplius reperit, quam angustis alicuius opidi moenibus circumscribi possit. Honorificentius igitur de Luthero sentiendum esse atque pronuntiandum, maledicis Solimannus ipse, Christianis Turca, demonstrat. Omnino, si factis uir probatur, magnus uir Lutherus extitit. Considera rem, quam suscipit, omnium maximam. Veritas enim, ex ipso Dei sinu a Christo prolata, tam nefariis ac diuturnis nugis atque fabulis opprimitur, deformatur, obscuratur, ut agnosci uix possit. Hanc tamen ueritatem, tot saeculorum uepribus ac dumetis obsitam atque obseptam, e caligine Lutherus eruere conatur. Considera haec tempora, quibus agit eam rem. Quid quaeris. Ipse quidem Robertus Bellarminus, paucis aliquot annis ante Lutheri coepta, nullam fere, testatur, in iudiciis Ecclesiasticis seueritatem, nullam in moribus disciplinam, nullam in sacris literis eruditionem, nullam in rebus diuinis reuerentiam, fuisse, nullam prope iam religionem. Haec tamen tempora, longe perditissima, Lutherus audet emendare. Considera homines, quibuscum ei conflictandum est. Hos dignitate si pendis, regnis atque imperiis maximos uides, si opibus, potentissimos, si auitarum opinionum studio, peruicacissimos, si proposito retinendi maiorum instituta, ferro ignique, ad haereticos delendos, semper instructos. Lutherus istorum, neque potentatu, neque minis, nec ullo terrore, retardatur, quin etiam atque etiam contendat, instet, urgeat, donec conata perficiat. Considera ipsam personam, qua induitur Lutherus, tantum negotium gesturus. Si uides Augustinianum sodalem, neque eum, incepti insolentia, temerarium putas, parum certe prudens ipse uidearis. Adeo cuncta uidentur obsistere Lutheri consilio, instaurandi sacra. Quo mirabilior est animi magnitudo, quae diuinitus in Luthero excitatur. Cum enim minimum, ac potius nihil, reperit opis humanae, tum uero plurimum et sperat, et audet. Nam Deo fidit, cuius agit causam. Adiutus a Deo, omnia pericula despicit, omnes aduersarios constantia frangit, omnium expectationem, amplitudine rei gestae, superat. Sic humilitatem pietas super uires potentiae, in fastigio stantis, nescio quas, extollit, eoque maior fit Lutherus, quo acrius, quo fidelius, honorem diuinum tuetur. Hoc opus sacri cultus, per Lutherum repurgati, oratione graui, nec indiferta, prosequetur, Io. Carolus Goesgen, probus doctusque iuuenis, quem, superiore anno publice auditum, pulchre, meminimus, stetisse. Tanto minus nos dubitamus, quin eum, CIVES, crastino, Hora nona matutina, in Acroaterio magno, dicturum, perhumaniter audiatis. P. P. X Calendas Decembres,

A. R. G. CIO IO CC XLIII

V I T E M B E R G A E

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

Coll. diss. A. 258, misc. 71